

verba in edit. *Romana* horum Commentariorum 1564. p. 241. occurrunt. Recepta esse pariter in *Biblioth. PP. Lugd. T. VI. col. 939.* pertinereque ad autorem *Britannum*, et fortassis ipsum *Bedam* jam alio loco monuimus.

LXXVIII. *V. C. g.*

135 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 191. f. partim per duas columnas, partim lineis longis probe exaratus, rubricisque distinctus et bonae notae, qui olim ad Coenobium *S. Georgii in Weltenburg* O. S. B. in *Bavaria* pertinuit, ut *fol. 140.* notatur, continet sequentia: I. *Ven. Bedae Angli Presb. Scriptoris* Sec. VIII. *Expositionem Allegoricam in Esdram et Nebemiam.* *Fol. 1.* pictura lineari exhibetur *Cyrus Rex Persarum* populo Dei reditum in patriam indulgens. *Pag. 2.* *Incipit Praefatio venerabilis bedae presbiteri super librum ezdrae.* hoc exordio: *Eximius sacrae interpretis ac doctor scripturae hieronimus &c.* Praefationem excipiunt *Summaria Capitum XXXVI.* quae nobis deinceps sine divisione in *Libros* decurrunt, et collata cum editis *T. IV. Opp. Bedae Colon. 1678.* a *col. 348.* f. integerrima sunt. *Initium: Cunctis legentibus liquet domum siue templum dei &c.* *Finis: Memento mei deus meus in bonum. Amen.*

II. *fol. 69.* *Hrabani Mauri* ex *Monacho O. S. B. Archiepiscopi Moguntini*, *Scriptoris* Sec. IX.

*Commentaria in Libros Machabaeorum.* Praecedunt *Literae binae.* *Prior: Epistola Rabani ad Ludovicum regem. Domino excellentissimo. et in cultu christianae religionis strenuissimo Ludovico regi rabanus uilissimus seruatorum dei. in domino dominorum perpetuam optat salutem. Cur sim promptus animo &c.* Deest huic *Epistolae* ultima clausula: *Diuinitas Domini nostri &c.* *Altera: Item alia epistola Rabani ad Geroldum Archidiaconum. Reuerentissimo et omni honore dignissimo geroldo sacri palatii archidiacono. rabanus uilis seruatorum dei seruus in christo salutem. Memini me in palatio uanationum ciuitatis constitutum &c.* Post has *Epistolas: Incipit expositio Rabani super librum machabeorum;* absque divisione in *Capita: Et factum est, postquam percussit Alexander &c. Initium libri machabeorum simile est principio libri ezechielis &c.* *Finis totius Expositionis: Ut in tercia decima die et in quarta decima mensis adar habitae. pariter iungerentur.* Per errorem subscriptum est: *Explicit Liber Tercius.* Habentur quidem *Commentaria isthaec* in *Opp. Rabani Colon. editis T. IV. 1626.* a p. 380. f. sed longe sincerior et plenior est lectio in nostro *Codice*, atque, ut obiter aliquid decerpamus, ubi *Colon. p. 388. E.* habent: *aeternae uitae praemia — adipisci compefcunt, noster concupiscunt. Et paullo post F. Colon. Fidem quotidie — dolose suggerit; noster Idem; est enim fermo de Sathana. Colon. in fine*

fine L. I. anni quingenti nonaginta mille ducenti, noster anni millecentum duo. Colon. p. 417. E. in comperto annorum, noster in computu &c. Ut adeo Codex hic nequitquam negligendus fit illis, qui incliti hujus Popularis nostri Scripta prelis denuo subdere meditabuntur.

III. fol. 140. Ejusdem Commentarius in Libros Judith et Esther. In Editione Operum Colon. T. III. p. 243. praecedat fat mendosa Praefatio carmine hexametro. Hujus loco Exemplar nostrum in fronte gerit, quod sequitur: Prologus Rabani in Librum Judith. Domine Electe et Merito Magne Pietatis ab omnibus uenerande atque amande Judithe Auguste. Rabanus seruorum dei seruus. eternam in Christo supplex optat salutem. Juditha haec est Guelficae Stirpis Heroina, secunda Ludovici Pii Imp. Coniux, quae 819. in illius torum venit, et Carolum Calvum enixa a prioris tori prolibus, privignis suis, Lothario, Ludovico et Pipino plurimum exercita obiit 843. A scriptoribus quibusdam horum Principum partibus addictis graviter incusata, ab aliis contra defensa est, ut compendio habes in Gundlingianis P. VII. p. 98. Posterioribus jam accedat Rabanus noster; sic enim eam adloquitur: Cum celsitudo magnitudinis vestre atque largitio benignitatis que non solum amicis sed etiam inimicis ab ipsius domini ore instructa prodesse didicit, plurimos faciat sibi deuotos. nos etiam quantulacunque pars ple-

Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

bis a deo uobis commissæ sub pietate uestra degentes deuotum cogitamus uobis exhibere obsequium. Qui licet non simus censu pretiosarum opum locupletes. tamen studio sacrarum orationum non sumus omnino uacui. quas incessanter cottidie deo pro uobis uestroque domino simul ac sobole offerimus. Haec itaque ante annum 840. Ludovici Pii emortualem scripta sunt. De cetero quia uos comperi laudabili excellere ingenio. et sanctarum mulierum quas sacra scriptura commemorat uirtutes ac studium in bono opere imitari. non frustra arbitratus sum quarundam illarum hystoriam — uestro nomini dicare atque transmittere. Judith. uidelicet atque hester. quarum unam coequatis nomine. alteram dignitate. Ab earum uictoriis infert: sic et nunc uestra laudabilis prudentia que iam hostes suos non parua ex parte uicerat — cunctos aduersarios suos feliciter superabit. Adhuc ergo in agone consistitis. ac ideo necesse est, diuinum implorare auxilium. ut qui suo sanguine mortem uicerat — in certamine istius mundi ueram uobis uictoriam pariat. — Accipite ergo iudith omonimam uestram castitatis exemplum — Hester quoque similiter reginam. regina in omni pietatis et sanctitatis actione imitabilem uobis ante oculos cordis semper ponite &c. Dedicacionem hanc, quam a Pet. Franc. Chiffletio acceptam Sec. IV. Act. O. S. B. P. II. p. 42. publicauit Mabillonius, excipit Caput Elenchus, et ipse Commentarius hoc litera quadrata initio: Arfaxat Itaque

N Rex

*Rex Medorum &c. Quidam quærendum putant &c. Integer est, ut in editis, et fertilis bonae lectionis.*

Succedit ei fol. 167. p. 2. *Commentarius in Librum Esther* praenotatus rubro: *Incipit Prologus in librum Hester. regine.* Prologus hic ad Reginam anonymam, quam supra *Juditham* esse vidimus, habetur etiam in edit. *Colon. T. III. p. 279.* uti et *Capitulum Index.* Opus ipsum minio nobis inscriptum est: *Incipit liber Hester que mysticat ecclesiam. reiecta synagoga.* Integrum est et ipsum, multumque ad emendanda edita conferre potest. Ita, ut aliqua delibem, in *Prologo* legit *Colon. obelo praenotata, Noster, ab ipso interprete obelo praenotata. Colon. ad liberandas, Noster, ad releuandas calamitates. C. I. Colon. Ezram et Mennam, Noster, Ezram et Neemiam. Colon. hunc Assuerum esse Artaxerxem vocatum; regnavit quoque &c. Noster, hunc assuerum esse Artaxersem qui cognominatus est memnon darii et parisatidis filium. hic ab hebreis assuerus. et a LXX. interpretibus artaxerses uocatur. regnavit quoque &c.*

IV. fol. 184. rubro *Incipit expositio uenerabilis bede presbiteri in librum tobie.* Initium litera quadrata: *Liber Sancti Patris Nostri Tobie. et in superficie littere salubris patet legentibus &c. Finis: Credo uidere bona domini in terra viventium. Explicit expositio libri Sancti Tobie. Extat T.*

IV. *Opp. edit. Colon. 1688. col. 347. f.*

In hoc Codice ad fol. 139. plures olim *Notae chronologicae* legebantur, quae nunc omnes amputatae sunt, relicta hac unica integra: *Anno domini Mill. CC. XXX. I. iubente clam imperatore friderico. occisus est Ludewicus. dux bawarie. ab ignota persona cultello transuerberatus. Factum id 15. Nov. in ponte Kelheimensi. Henricum filium Regem Rom. commendaverat Imperator Ludovico, qui cum in Patrem insurgeret, confilii particeps habitus fuit Ludovicus.*

LXXIX. IX. F. 19

Codex membraneus lat. Sec. 504 XIII. Folior. 263. 4. nitide scriptus, flavoque colore pernotatus est Expositio Libri *Job* compendiarum, cujus Prologus incipit: *Inter multos sepe queritur, quis libri beati iob scriptor habeatur. Sed hoc superuacue queritur, cum auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur &c.* Et ipsum Opus: *Vir erat in terra bus nomine iob. Job dolens et bus consiliator dicitur &c.* Definit: *et erga futura spes. et erga preterita fides ligat.* Autorem ignotum Gregorii M. *Moralia in Job* deflorasse, in propatulo est. Commentarium hunc fol. 243. ipse Liber *Job* excipit. Ad cuius calcem: *Amen. Explicit liber Job.*

LXXX.